

35. In N. T. testimonia sunt clarissima. Joh. I. 14. Matth. III. 16.
17. Marci I. 10. 11. Luc. III. 21. 22. Joh. I. 32. 33. Matth. XXVIII. 19. 1. Joh.
V. 7. Joh. VIII. 17. V. 31. 32. XIV. 16.

36. Distinguuntur tres personæ illæ tum ad intra, tum ad extra.

37. *Ad intra* notionibus sive characteribus personalibus, Pater-
nitate, Filiatione & Processione.

38. *Ad extra* ab operibus & beneficiis erga creaturas.

39. Ubi nota regulam D. Lutheri: Opera ad extra, si absolute
considerantur, tribuuntur toti Trinitati sine discrimine, si relate,
consideranda est cujuscunque personæ proprietas & quo ordine
personæ agant.

40. Observentur etiam hæ regulæ. (1.) Opera Trinitatis ad ex-
tra sunt indivisa. (2.) Opera Trinitatis ad intra sunt divisa. (3.) In ope-
ribus ad extra, nominata una persona, tota Trinitas intelligitur.
(4.) Eadem operatio tribuitur nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui S.
propter essentiæ unitatem. (5.) Quando Divinitas opponitur idolis
vel creaturis, tum una persona nominata non excludit reliquas ab
opere Deitatis.

41. Damnantur blasphemi Judæi, Praxeani, Samosatreniani,
Noëtiani, Patri-Passiani, Photiniani, Mahometistæ, Stancarum, Ser-
vetus, Anti-Trinitarii.

42. Qui terminos in explicando hoc mysterio receptissimos,
soliis novitatis studio, sugillant, ipsam doctrinam omnino oppu-
gnare videntur. *

DISPUT. V.

De DEO Patre, & Filio, & Spiritu S.

1. In descriptione Personarum Trinitatis observanda sunt qua-
tuor. (1.) ordo Personarum, (2.) proprietates Characteristicae sive ad
intra. (3.) proprietates in opere ad extra in genere. (4.) proprietates ad
extra relative ad Ecclesiam.

2. Pater est (1.) prima Persona Divinitatis, (2.) quæ ab æterno
genuit filium imaginem sui, (3.) creans, conservans & gubernans
omnia, una cum filio & Spiritu S. (4.) mittens Filium, Redempto-
rem & Spiritum Sanctum Sanctificatorem.

3. Filius est (1.) secunda Persona Divinitatis, (2.) non creata ex nihilo,